



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Trevirensē. In Qvo Ithacivus Priscilliani accusator absolutus, Felix Treuirorum episcopus Martino praesente ordinatus est, Honorio N. P. & Euodio V. C. consulibus, Anno Christi CCCXXCVI. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO
CHRISTI
386.

CONCILIVM TREVIRENSE.

IN QVO ITHACIVS PRISCILLIANI
accusator absolutus, Felix Treuironum episcopus
Martino presentē ordinatus est, Honorio N. P. &
Euodio V. C. consulibus,

Anno Christi CCCXXCVI. Siricii papæ II. Maximi imperatoris III.

REPREHENDERANT in Ithacio multi, quod Priscillia-
num, eiusque socios, præter morem ecclesiasticum,
in causa capitis infectaretur. Quo nomine a S. Martino
ante iudicium, vt ab accusatione desisteret, sæpe admoni-
tus; post necem vero Priscilliani, a Theognosto episcopo
palam damnatus est. Hinc episcoporum in duas partes fa-
ctum discidium: aliis quibus sanior mens erat, Ithacii com-
munionem vitantibus; aliis metu regis, qui homini faue-
bat, cum illo communicantibus. Ex hoc genere ii fuerunt,
qui ad Synodum Treuirensē hoc anno Felicem episco-
pum ordinaturi conuenerant. Nam & Ithacium nulla ob
eam rem culpa teneri in Synodo pronuntiarunt, & Ma-
ximo auctores fuerunt, tum vt tribunos in Hispaniam
cum iure gladii mitteret, qui eius sectæ conuictos vita bo-
nisque spoliaret: tum vt Martinum, qui per eos dies ad com-
mitatum venerat, ad ipsorum communionem vi regia
impelleret. Ad quam quidem Martinus, cum aliter reis
veniam, quam precabatur, & ne tribuni ad Hispanias
pergerent, impetrare non posset, inflecti se tandem passus
est, Synodūque ingressus, ordinationi Felicis interfuit. Sed
facti mox pertæsus, ab Ithaciana partis communionē in
posterum semper abstinuit. Hæc rerum summa. restat vt
Seuerum singula in dialogis vberius narrantē audiamus.

*Veniam, inquit, ad illud, quod propter notam temporum Mar-
tinus semper occultauit, sed nos celare non potuit: in quo est illud mi-
raculi, quod facie ad faciem cum eo est angelus collocutus. Maxi-
mus imperator, alias sane bonus, deprauatus consiliis sacerdotum,
post Priscilliani necem, Ithacium episcopum Priscilliani accusatorem,
ceterosque illius socios, quos nominari non est necesse, vi regia tueba-
tur, ne quis ei crimini daret, opera illius cuiuscumque modi hominem
fuisse damnatum. Interea Martinus multis grauibusque laboran-*

Lib. 3. c. 15.
De vita S.
Martini.

ti um causis ad comitatū ire compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treuiros episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, communem sibi causam fecerant.

His ubi nuntiatum est inopinantibus adesse Martinum, totis animis labefactati mussitare & trepidare cœperūt. Et iam pridie imperator ex eorum sententia decreuerat tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehensus vitā & bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas ista depopulatura esset, paruo discrimine inter hominum genera. etenim tum solis oculis iudicabatur, cum quis pallore potius, aut veste, quam fide hæreticus existimaretur. Hæc nequaquam placitura Martino episcopi sentiebāt. sed male conscientia illa vel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adueniens abstineret, non de futuris qui tanti viri constantiam præmissa auctoritate sequerentur. Ineunt cum imperatore consiliū, ut missis obuiam magisterii officialibus, urbem illam propius vetaretur accedere, nisi se cum pace episcoporum ibi consistentium ad fore fateretur. Quos ille callide frustratus, profitetur se cum pace Christi esse venturum. Postremo ingressus nocturno tempore adiit ecclesiam tantum orationis gratia: postridie palatium petiit. Præter multas, quas enoluere longum est, has principales petitiones habebat, pro Narsete Comite, & Leucadio præside, quorū ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studiis, quæ non est huius tēporis explicare, iram victoris emeriti. Illa præcipua cura, ne tribuni cum iure gladiatorū ad Hispanias mitterentur. pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solū Christianos, qui sub illa erāt occasione vexandi, sed ipsos etiā hæreticos liberaret.

Verum primo die atque altero suspendit hominem callidus imperator, siue ut rei pondus imponeret, siue quia nimis sibi implacabilis erat, seu quia, ut plerique tum arbitrabantur, auaritia repugnabat: siquidem in bona eorum inbiauerat. Fertur enim ille vir, multis bonisque actibus præditus, aduersus auaritiam parum consuluisse. nisi fortasse regni necessitate, quippe exhausto superioribus principibus reipublicæ ærario, pene semper in expeditione atque procinctu bellorum ciuiliū constitutus, facile excusabitur quibuslibet occasionibus subsidia imperio parauisse. Interea episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad regem concurrunt, prædamnatos se conquerentes: actum esse de suo omnium statu, si Theognosti pertinaciam, qui eos solus palam lata sententia condemnarat, Martini armaret auctoritas. non oportuisse hominem recipi mœnibus: illum iam non defensorem hæreticorum esse, sed

ANNO
CHRISTI
486.

vindictam: nihil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionē. Postremo prostrati cū fletu & lamētatione potestati regiam implorāt, ut utatur aduersus vnū hominem vi sua. Nec multū aberat, quin cogeretur imperator Martinū cum hæreticorū sorte miscere.

Sed ille, licet episcopis nimio fauore esset obnoxius, non erat nescius Martinum fide, sanctitate, & virtute cunctis præstare mortalibus. alia longe via sanctum vincere parat. Ac primo secreto accersitum blande appellat. hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorum potius quam insectationibus sacerdotum: non esse causam, qua Ithacii, ceterorumque partis communionem putaret esse damnandam: Theognostum odio potius quam causa fecisse discidium: eundemque tamen solum esse, qui se a communionem interim separarit: a reliquis nihil nouatum. quin etiam ante paucos dies habita Synodus Ithacium pronuntiauerat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moueretur, rex ira accenditur, ac se de conspectu eius abripuit: & mox percussores his, pro quibus Martinus rogauerat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum iam noctis tempore est, palatium irrumpit, spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo ut & tribuni iam in excidium ecclesiarum ad Hispanias missi retraherētur. Nec mora intercessit: Maximus indulget omnia.

Postridie Felicis episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sane viri, & plane digni, qui meliore tempore sacerdos fieret. Huius diei communionem Martinus iniit, satius æstimans ad horam cedere, quam his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Verūtamen summa vi episcopis nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. Postero die se inde proripiens, cum reuertens in via maestus ingemisceret se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum: haud longe a vico, cui nomen est Andethanna, qua vastas solitudines siluarum secreta patiuntur, progressis paululum comitibus, ille subsedit, causam doloris ac facti, accusante ac defendente inuicem cogitatione, peruoluens. Adstitit ei repente angelus: Merito, inquit, Martine compūgeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiā, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris. Itaque ab illo tēpore satis cauit cum illa Ithacianæ partis communionem misceri. Ceterum cum quosdam ex energumenis tardius quam solebat, & gratia minore curaret, subinde nobis cum lacrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se vel puncto temporis necessitate non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sedecim postea vixit annos: nullam Synodum adiit, ab omnibus episcoporum conuentibus se remouit.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ
DE TRINITATE,

*Quæ in veteribus membranis S. Martino Turonensi
episcopo adscribitur.*

CLEMENS Trinitas est vna diuinitas. Vt autem per sacramentum cognoscatur, vnitas est ab eo qui est, & Spiritus sanctus a quo qui est & vnigenitus: sic existens diuinæ naturæ, lucis, spiritus, a sese per naturam, per substantiam maiestatis, potestatis, virtutis, diuinæ lucis, vnus in duobus & vterque in idipsum. Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu sancto. Sic tribus personis confitemur corpus præscientiæ, quod super omnia cuncta concludit. In hoc mysterium ergo credimus, esse ex nullis extantibus cuncta orta. Quod mysterium mens humana concipere non potest, nec oratoria lingua enarrare, neque diffusi sermonis bibliothecarum volumina. Si totum mundum libri repleant, diuina scientia non possit innarrabilis enarrari: qui est indicibilis, nullo modo possit describi, neque concludi, aut verbum, aut substantia propria diuinitatis suæ, qui est fons diuinæ lucis, luminis, substantiæ suæ natura. Sileat lingua oratoria, quia deficit sermo de indicibili. Cum consummauerit mens humana de diuina maiestate dicere, tunc incipit. Quanta sit autem diuina clementia, nemo scit, nisi qui genuit: & nemo comperit secreta Patris, nisi is qui per naturam nascendi initium amisit. Omnis ergo mansuetudo & modestia peritorum conuertatur ad prophetam: de dominica auctoritate præsumat dicendo, Credidi, propter quod locutus sum. Quod autem per mysterium simplex sit confessio, vt fundamentum ecclesiæ solidata apostolica auctoritate prædestinatio sequens præsumat, dicens: De cetero nemo mihi molestus sit, ego credo in Christum & hunc crucifixum. quia cum confitetur filium hominis, confitetur & Spiritum sanctum: quia e Spiritu sancto & Maria Virgine mediator nascitur. cum confitetur primogenitum, necesse est de vnigenito qui testimonium dicat, vnum & solum sine origine esse in tertiam personam. Patrem confitetur existentis diuinæ naturæ, lucis, spiritus,

ANNO
CHRISTI
386.

vt dixi. qui secundum naturam, vt supra dixi, est vnus in duobus, & vterque in idipsum, Pater in Filio, Filius in Patre, Pater in Spiritu sancto, vnum in sancta ecclesia, nunc & in immortalia secula seculorum. Amen.

NOTÆ.

* *Concilium Treuirensis.*] *Causa habiti Treuiris in Gallia Concilii hæc est Ithacius, teste Isidoro de viris illustribus capite secundo, Hispaniæ episcopus, cognomento & eloquio clarus, acerrimus Priscillianistarum hostis, apud imperii perduellem, ac Gratiani interfectorem Maximum hoc procurauerat, vt Priscillianus eiusve sectatores hæretici, non tantum compefcerentur, sed vt de iisdem etiam capitis vitæque supplicium sumeretur, atque de reliquiis eorum in Hispania per ferrum & flammam exturbandis mandatum e-deretur. Quod cum a mansuetudine Christiana, qua exemplo Christi in primis episcopi ac sacerdotes imbuti esse debebant, plurimum abhorreret, Theognostus alique catholicæ communionis episcopi, Ithacium cum lociis, velut sanguinarium ac crudelem sacerdotio indignum excommunicarunt. Non quidem ideo, quod aduersus hæreticos auxilium principis implorasset (hoc enim sanctus Augustinus, alique sapius fecisse leguntur) sed quod importunius ac sæuius agens, in eisdem poenam capitis procurasset, solitamque protestationem non interposuisset, qua se delinquentium incorrigibilium correctionem sic expetere declararet, vt tamen a sanguinis poena abtineretur. Ithacius vero Maximi imperatoris patrocinio fretus, decimo sexto anno ante obitum sancti Martini, qui est Christi 386. Treuiris Synodum congregari impetrauit, quæ eum velut innocentem absoluit, nullaque culpa teneri pronuntiauit. Præsides sanguinolenti, aduentu sancti Martini episcopi, qui duorum comitum Gratiani fautorum reconciliationem: & decretam in Hispania inquisitionem periculosam deprecaturus veniebat, valde turbati, (metuebant enim morte Priscilliani, vel absolute Ithacii nihil fore actum, si in urbem admitteretur) rogarunt imperatorem, vrbis accessu episcopum prohiberi: nocturno tempore urbem ingressus, imperatorem adiit; qui cum post diuturna colloquia de duobus comitibus illis, pro quorum vita precatum venerat, supplicium sumi mandasset, vir sanctus & clarus miraculis cum Ithacianis se communicaturum spondit, si imperator innocentem vitæ parceret. Maximus omnia indulget, & sanctus Martinus Felicem Ithacianæ factionis episcopum ordinando, cum ipso aliusve eius consortibus communicat, satius existimans ad horam cedere, quam his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat: vt vero communionem illam subscriptione firmaret, nequaquam induci potuit. Cum hanc ob rem postero die plurimum doleret, astitit ei angelus dicens: *Merito Martine compungeris; sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam; ne iam non periculum gloriæ, sed**

Causa Cō-
cilii.Quare Itha-
cius excō-
municatus
fuerit.S. Martin.
quare cum
Ithacianis
communi-
catur.Martinus
ab angelo
ad constantiam excita-
tur.

salutis incurras. Itaque ab illo tempore satis cauit cum illa Ithaciana partis communionem misceri. Ceterum cum quosdam ex energumenis tardius quam solebat, & gratia minore curaret, subinde nobis cum lacrymis fitebatur, se propter communionis illius malum, cui se vel puncto temporis, necessitate non spiritu miscuisset, detrimentum virtutis sentire. Sed decem postea vixit annos, nullam Synodum adiit, &c. Hæc ex Seueri dialog. lib. 3. Vide Baron. anno 386. num. 25. & seq.

SYNODVS CAPVANA,
IN CAUSA ANTIOCHENÆ DISSENSIONIS
& Bonosi hæretici, celebrata sub Siricio.

NOTÆ.

- * *Synodus.*] Postquam Paulinus, quem Lucifer Calaritanus Antiochiæ contra Meletium Antiochenæ sedis episcopum designauerat, anno 389. obiisset, auditores illius contra Flavianum Meletii successorem, Euagrium in locum Paulini subrogarunt, ortamque antea liquot annos discordiam continuarunt. Pontifex, & cum eo fere occidentales vniuersi contra Flavianum, sicut ante Paulino, ita nunc ab Euagrii partibus steterunt, atque imperatorem contra Flavianum per literas animarunt. Quibus ille permotus, circa hæc tempora proculdubio (certus enim annus ignoratur) in hac causa Capuæ Synodum indixit. Flavianus ad eam vocatus non venit; sed per literas ab imperatore petiuit, hoc eius auctoritate procurari, ut occidentales episcopi patiantur in oriente Concilium celebrari, in quo causam suam ipse coram agere possit. Qui autem Capuæ conuenerant, ad schisma totius ecclesiæ auertendum, constituerunt, ut tam Flauiani, quam Euagrii fautores ad communionem catholicam admittantur, modo catholicæ fidei assertores esse inueniantur. Præterea, ut dissensiones periculosissimæ omnino sedarentur, Theophilo Alexandrino vna cum aliis Ægypti episcopis, cognitionem causæ ac dissensionis inter Flavianum & Euagrium demandarunt: tum quod ille principalioris sedis in oriente antistes esset, tum etiam quod a neutrius partibus staret. Præscripta est arbitro limitata conditio hæc; ut suam a se prolatam sententiam Romanæ ecclesiæ auctoritate confirmandam ac comprobendam offerret. Quod iudicium Theophili cum Flavianus, ut constat ex epistola 78. Ambrosii, refugisset, causa Bonosi cuiusdam in Macedonia episcopi hæretici, negantis illibatam Dei genitricis Mariæ virginitatem post partum, in iudicium deducta est. Synodus cognitionem causæ Anylio Thessalonicensi cum episcopis ipsi subiectis delegauit. Quod videre est ex epistola 79. apud Ambrosium. Ab Anylio autem episcopo Thessalonicensi, Bonosum (a quo Bonosiani, ad hæreses Photini suam addentes) damnatum, eorumque quos ordinasset, communionem

Causa C6.
cili.

Locus C6.
cili.

Bonosi hæ.
retis quæ.

Bonosus
damnatur.